

* * MISCELLANEA * *

**Torontinum Monasterium nostrarum Monialium necnon Institutum
Sororum a Ministerio (Sisters of Service) a R. P. G. Daly conditum**

Confratribus cunctis delectationem afferent duea recentissimae imagines luce expressae et his insertae.

1. In priore imagine hodiernus S. Alfonsi Successor apparet in media communitate Torontina Monialium nostrarum. A. 1947 Monasterium anglicum Chudleigh suarum Monialium quattuor in Dicionem Canadensem miserat ad novum ibi Monasterium idiomatis anglici in civitate Toronto fundandum. Ipsa Moderatrix huius parvae coloniae praematura sua morte in mentem revocat verba Domini: *Nisi granum frumenti...* (Ioa. 12,24); nam hodie, exactis interim nonnisi 4 annis, in dicto Monasterio iam vivunt 30 Moniales vel saltem puellae ad hunc nobilem statum aspirantes, et earum numerus vel maior esset, si aedificium plures capere posset (1). Ergo, quo minus fecundus hic Ordo contemplativus hodie in Vetere Mundo esse videtur, eo maiorem fecunditatem iuvenilemque vigorem ostendit in Mundo Novo. In illa photographia autem solae tres Moniales gestant scapulare cum effigie SS. Redemptoris tamquam perpetuo professae; sunt illae Fundatrices ex Anglia missae. Reliquae sunt aut tantum temporarie professae aut nulla adhuc vota religionis habent. Omnes tamen sese felices demonstrant vultu suo festivo ac ridenti. Earum nonnullae sunt Americanae, et speramus eas postea ad ipsos Status Foederatos tandem aliquando hunc pulchrum Ordinem, inde ab initio nobis arcte coniunctum, transplantatas esse.

2. In altera imagine photographica Rev.mum P. Generalem circumdant, praeter 10 Redemptoristas (sive in facto esse sive in fieri), 24 Sorores a Ministerio (*Sisters of Service*) (2), habitum valde diversum gestantes, et tempus est ut de hoc quoque Instituto nonnulla in Analectis dicantur.

Eius Fundator est R.P. *Georgius Daly*, nunc fere octogenarius, natus Marianopoli (*Montreal*) 5 Sept. 1872 patre Hiberno, licet in insule Melita (*Malta*) in lucem edito, matre Canadensi, cuius abavus Iacobus Morin a. 1661 e Gallia immigrarat (3). Ex novem liberis huius exemplaris matrimonii filius Georgius a. 1888, nondum completis 16 annis, in longinquum nostrum novitiatum belgicum profectus est et demum post 12 annos,

(1) Martio h.a. erant 23; cf. RIS, p. 108.

(2) Data opera vocem latinam « servitium » evitamus, quia servitutem stricte dictam sapit, potius quam illud spontaneum laetumque ministerium, quod illae Religiosae « ex amore Iesu et Mariae » praestant.

(3) De amatissimo genitore P. Daly a. 1945 librum publicavit lectu iucundissimum et utilissimum: *My Father. The Life of an Exemplary Catholic Layman*.

interim sacerdos Altissimi constitutus, in patriam rediit. A. 1922, festo Assumptionis B.M.V., P. Daly fundavit novum Institutum muliebre, ratus difficulter Institutum iam existens necessitatibus praesentibus, prout eas in longa sua vita missionali cognoverat, perfecte accommodari posse.

Ideam novi operis optime illustrat pulcherrimum stemma ab eo exco-
gitatum et authentice nuper explicatum in opuscolo *A Coat of Arms*



FIG. 1. — Moniales Torontinae a SS. Redemptore,
4 Sept. 1951 Revnum P. Generalem circumdantes.

(fig. 3). In scuti inferiore parte videtur globus terrestris, et illa quidem globi pars, quae vastissimam Dicionem Canadensem « a mari usque ad mare » occupat. In centro leguntur tres litterae initiales *S.O.S.*, quae in navigatione internationali, ab aliqua navi in extremo periculo emissae, significant *Save Our Souls* (salva nostras animas), hic autem designant *Sisters of Service*. Quamquam prior quoque significatio non plane exsulat; etenim illae Religiosae humili suo ministerio student servare *animas magis derelictas*, praesertim in Canada occidentali, sibi quasi supplici voce acclamantes: *Save Our Souls!* In superiore scuti parte Crux, signum aeternae salutis, quaquaversus suos radios emittit et his virginibus Deo consecratis in memoriam revocat ideam principem Actionis Catholicae: scilicet in

Ecclesia, in corpore Christi mystico, laicos quoque et mulieres in opere omnium divinissimo, in apostolatu et animarum salute procuranda, suam partem habere.

Sepra scutum fulget corona caelestis mercedis (cf. 2 Tim. 4, 8), dum rosae ac lilia symbolizant duas virtutes omni apostolatui essentiales, caritatem ac puritatem. Vel eloquentior est textus programmaticus seu lemma



FIG. 2. — Revmus P. Generalis Toronti circumdatus a Monalibus nostris O. SS. R. et a Sororibus *Sisters of Service* 4 IX 1951.

infra scriptum: *I have come to serve* (veni ministrare), quo ipse SS. Redemptor suam missionem complecti voluit (cf. Mt. 20,28).

« Ministrandi » in spiritu Christi opportunitates et occasiones millesimae dantur. Hac nostra aetate Sorores a Ministerio noncupatae haec praestant: *a)* In portibus, quo exterae naves suos immigrantes afferunt, uti in Halifax et Montreal, catholicis obviam eunt statimque eis maternam Ecclesiae curam ostendunt. *b)* Colligunt puellas quae immigrarant aliasque quae in magnis urbibus sine hospitali tecto sunt, eas in suis hospitiis (*hostels*) a multis periculis protegentes. *c)* Ruri erigunt parva nosocomia. *d)* Item ruri, ubi adhuc scholae desunt, iuventutem derelictam instruunt et edificant, stabiliter vel saltem tempore feriarum et longa hieme canadensi

etiam ope epistularum, ne parvuli, procul ab omni sacerdotis ministerio degentes, absque religione adolescent. Centra eiusmodi iam sunt in Edmonton et Regina et Fargo.

Sorores a Ministerio efformant verum Institutum religiosum, canonice erectum a. 1925 et interim a plurimis Episcopis valde laudatum. Postula-



FIG. 3. — Stemma Instituti A. R. P. Georgio Daly fundati

tus durat 6 vel ad sumnum 12 menses, novitiatus 2 annos. Prima professio votorum est ad triennium, altera ad biennium, tertia in perpetuum. Primum Capitulum gen. habitum est a. 1937. In praesenti numerantur 205 Sorores professae, 8 novitiae, 2 postulantes. Domus matrix Toronti est (2 Wellesley Place), item domus novitiatus; aliae 17 domus per universam terram canadensem ab Atlantico ad Pacificum dispersae sunt, et una est in USA. Quod terrestris globus in stemmate appareat, demonstrat universalem et vere « catholicum » novi Instituti spiritum, et valde optandum videtur, ut praeter Redemptoristinas contemplativas etiam hae « Redemptoristinae activae » paulatim per totum mundum propagentur, auspice Matre de Perpetuo Succursu, praecipua Instituti Patrona.

Gratulamus Patri Fundatori, quod ideam nostrae Congregationis propriam, nempe apostolatum animarum magis derelictarum, tam sapienter et tanto cum successu nostris temporibus accommodavit (1).

(1) De Instituti vita singulis mensibus refert periodicum *The Field At Home*, cuius annus XXVII nunc currit.